Maria dei gracia Regina Aragonum Sicilie citra et ultra farum Valencie Hierusalem Hungarie Maioricarum Sardinie et Corsice Comitissa Barchinone Ducissa Athenarum et Neopatrie ac eciam Comitissa Rossilionis et Ceritanie Locumtenens generalis serenissimi domini Regis viri et domini nostri carissimi. Fideli scriptori nostro Nicholao Rocha notario et Scribe Iuratorum Civitatis Gerunde. Salutem et graciam. Quia nobilis Ffrancina de Senesterra Tutrix Bernardi de Senesterra pupilli eius filii in processu in viam usatici de Similiter modo ad eius instancia facto contra Johannem dez Puig ville Turricelle de Montegrino et alios et ad pro fundanda sua intencione producere vult seu intendit quoddam instrumentum cuiusdam indempnitatis in posse vestro facte ut asseritur per dictum Johanem dez Puig dicte Civitati Gerunde seu Iuratis eiusdem pretextu seu occasione litigii quod dictus Johannes dez Puig ut Sindicus dicte Civitatis habet cum dicta nobili Tutrice de et super passagio salis salmarum dicte ville Turricelle. Dicimus et mandamus vobis consulte et de certa sciencia sub incursu Regie indignacionis et sub pena Mille florenorum auri quatenus dictum indempnitatis instrumentum seu eius copiam fidem facientem eidem nobili Tutrici seu pro ea Jacobo Riera Rectori ville castilionis impuriarum presencium exhibitori tradatis et deliberetis indilate satisfacto vobis pro vestris salario et labore condecenti. Datum Barchinone decima nona die Decembris Anno a nativitate domini Millesimo CCCC° Quadragesimo sexto.

De Ortigis R.

Iu. cotlorinus vmj

Vidit de Insa

Reg. 518